

rum Pastorem mutari posse, anathema sit. Excusatur a peccato, qui urgente necessitate caeremoniam tantum accidentalem omittit: peccat vero graviter, qui aliquem ritum, licet tantum accidentalem ex contemptu omittit, judicando esse tantum inanem vel ineptam caeremoniam; quia hic contemptus redundat in ipsam Ecclesiam. Ita *Suar.* l. c. Sect. 5. ubi addit, quod excluso contemptu hic admittenda sit parvitas materiae in omissione ex judicio prudentum aestimandae.

87. *Ad alios casus hic resolvendos* Observa I. Contrahens matrimonium in mortali satisfacit in Confessione dicendo, quod in eo statu peccati contraxerit matrimonium, quamvis probabiliter ut suscipiens, et ut ministrans Sacramentum dupliciter peccet. *La Croix* L. 6. p. 1. n. 93.

88. II. *Non licet petere vel recipere Sacramentum a Ministro indigno, praesertim non tolerato* (h. e. tali, qui nominatim per sententiam declaratus est excommunicatus vel suspensus, vel qui est notorius Clerici percussor) excepto baptismo in casu necessitatis, et poenitentia in articulo mortis. *Ratio est:* quia non licet ab illo petere id, quod ipse sine peccato praestare nequit, alias cooperareris alterius peccato: atqui ejusmodi indignus Sacramentum administrare non potest absque peccato extra casum necessitatis; ergo. Ex eadem ratione non licet petere, nec recipere Sacramentum ab indigno licet tolerato, *quem moraliter constat peccaturum ministrando*, si alius adsit probus, ac dignus Minister; quia quilibet ex lege charitatis tenetur impedire peccatum proximi, quando hoc facile et sine gravi suo incommodo potest impedire: ergo. Si vero adsit justa ac gravis causa v. g. si urgeat praeceptum confitendi, aut sumendi Eucharistiam, nec possit absolute, vel non sine gravi incommodo adiri alius Minister dignus, licet petere, et recipere Sacramentum ab indigno tolerato, h. e. tali, qui licet in peccato gravi constitutus sit, nominatim tamen denuntiatus non est tanquam excommunicatus etc., quia tunc ipsa urgens necessitas, aut gravis causa excusat, quo minus tenearis impedire alterius peccatum, et permittit petere id, quod alius ex sola malitia sua non daturus est sine peccato. Multo magis id licet, si certo non constet de Ministri malitia ut habetur in c. *Vestra* 7. de Cohab. Cler. *sine dubitatione itaque teneatis, quod a Clericis et Presbyteris, quanquam fornicariis, quamdiu tolerantur, nec habent operis evidentiam, licite divina mysteria audiantur, et alia recipiantur Sacramenta Ecclesiastica.*

89. III. Qui scienter confert Sacramentum indigno, seu non rite disposito, *per se* loquendo, peccat mortaliter; tum quia talis cooperatur indignae susceptioni, et consequenter alieno peccato; tum quia in re gravi agit contra obligationem officii sui, vi cujus tenetur fideliter dispensare Sacramenta, juxta illud 1. Cor. 4. v. 2. *hic jam quaeritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur.* Denique agit contra expressam voluntatem Christi id vetantis *Matth.* 7. v. 6., *nolite dare Sanctum canibus*, h. e. indignis. Quando per accidens licite conferatur Sacramentum indigno, dicetur de Sacramentis in specie.

90. Unde infertur *primo*, quod Minister Sacramenti debeat prudenter saltem posse praesumere, suscipientem esse dignum; alias non esset prudens, et fidelis dispensator, seque exponeret periculo ministrandi indigno, et privandi Sacramentum ejus effectu primario. Is autem sufficientem cautelam, vel diligentiam censetur adhibere, qui sollicite attendit ad praxim Ecclesiae, ad naturam cujusque Sacramenti, et qui procedit juxta commune judicium proborum, ac prudentum. Sic in Sacramento Poenitentiae accuratior requiritur notitia dispositionis, utpote quae requiritur ad valorem Sacramenti, et sine accurata, quantum fieri decet, notitia non potest

debite ferri sententia Confessarii Judicis. Hinc etiam pro conferendis digne Ordinibus juxta Trid. accuratum praemitti oportet examen.

91. Infertur secundo. Quod peccatori publico publice petenti aliquod Sacramentum, excepta Poenitentia, negari illud debeat, uti etiam occulto peccatori occulte petenti, cui scil. sine scandalo, et sine ejus infamia denegari potest; *excipe casum*, quo indignitas cognita est ex sola confessione Sacramentali, ut ait *Gobat.* l. c. n. 271. contra *Antoine.* Vide *S. Th.* P. 3. q. 80. a. 6. Nomine publici peccatoris intellige illum, qui de crimine vel juridice convictus est, vel si illud commiserit in loco publico coram multis; vel quando fama delicti ex sufficientibus indicii orta jam ad multos pervenit, et tamen nulla verosimilis praesumptio est emendationis, vel poenitentiae. Non tamen sufficit suspicio levis, imo nec probabilis de indignitate, sed exigitur violenta, quia sola probabilis relinquit prudens dubium, in dubio autem quisque habendus est probus. Violenta autem suspicio nequit probabili ratione deponi: ergo gignit moralem certitudinem de indignitate. Ita *Gobat.* l. c. n. 269. *cum Suar.*

92. IV. Minister, qui ex officio curam gerit animarum, non tantum ex charitate (quae obligat etiam caeteros, qui pastores animarum non sunt), sed etiam ex justitia tenetur administrare Sacramenta subditis rationabiliter petentibus. Vide *Trid.* sess. 23. C. 1. de Reform. *Ratio est:* Quia talis Minister ad hoc se obligavit, dum admisit officium pastoris; ideoque accipit stipendium, et sustentationem a subditis, ut fideliter praestet illa, quae sunt boni pastoris; inter haec autem facile praecipuum est administrare Sacramenta.

93. Hinc inferes primo, quod ille Curatus peccet graviter, qui Sacramenta juste et rationabiliter petentibus denegat. Secundo qui in iis administrandis frequenter se ita difficilem, et morosum praebet, ut homines ab usu Sacramentorum absterreat. Tertio, maxime peccat, qui aegrotos, et moribundos ex negligentia, vel incuria destituit necessariis auxiliis spiritualibus. Vide *Gobat* t. 1. Theol. exper. n. 108 et 112.

CAPUT III. De Subjecto, et effectibus Sacramentorum.

§. I. Praenotanda.

94. I. Circa *Subjectum Sacramentorum* ex consensu TT. tanquam certum supponitur primo, solum hominem viatorem esse subjectum Sacramentorum; hic enim nomine subjecti intelligitur is, qui recipit Sacramentum, et est capax effectus Sacramenti: atqui solus homo viator est capax illius: ergo. Secundo, non omnes homines esse omnium Sacramentorum capaces; sic foeminae capaces quidem sunt Baptismi, Confirmationis etc. non tamen Ordinis. Tertio, ut suscipiens Sacramenti effectum percipiat, Sacramentum suscipiendum esse non tantum valide, sed etiam licite. Ad utrumque requiritur aliqua dispositio; de hac modo agemus; quaestio autem procedit tantum de adultis; infantes enim, et perpetuo amentes baptizantur, quin se prius disponant per actum propriae voluntatis, utpote cujus sunt incapaces: unde eorum intentionem censetur supplere Christus, et Ecclesia, sicut in civilibus tutor supplet pro pupillo. *Ratio* horum est voluntas Christi volentis per Sacramenta tantum sanctificare hominem viatorem, et simul volentis, non quemlibet esse cujuslibet Sacramenti subjectum, quae voluntas nobis tum a Scriptura, tum ab infallibili Ecclesia manifestatur.

„Dispositio in baptizando, si est infans (ut supra dictum) aut perpetuo amens, nulla requiritur: si vero adultus, tres circumstantiae dari pos-

„sunt: 1. Si jam prius sit *justificatus* per charitatem, aut contritionem, requiritur sola intentio, saltem habitualis recipiendi baptismum. 2. Si non sit justificatus, solum tamen habeat peccatum *originale*, sufficit fides, spes, et propositum saltem virtuale servandi obligationes hominis Christiani: *accedentem enim ad Deum oportet credere etc.* ad Hebr. 11. — 3. si habeat etiam peccatum *personale*, requiritur insuper saltem attritio super-naturalis. Quod si *reviviscere* ponatur postea Baptismus valide sed in-fructuose susceptus, distinctio est adhibenda; vel obex in baptismo fuit, solum *privativus*, id est, omissio alicujus dispositionis praeviae, et suffi-cit supplere, quod est omissum: vel obex *positivus* novum mortale post-vel sub actuali forma baptismi admissum, et requiritur contritio, vel at-tritio cum Sacramento poenitentiae.

95. II. Sacramentum suscipitur *valide tantum*, quando confertur sub-jecto capaci secundum debitam materiam, formam et intentionem tum Mi-nistri, tum recipientis: *valide et licite tantum* suscipitur, quando quoad de-bitam materiam et formam, et intentionem subjecto quidem capaci, sed habenti obicem negativum sive materiale confertur. *Obex materialis* sive *negativus* est inculpabilis omissio dispositionis necessariae ex ignorantia aut impotentia inculpabili. Fictio seu *obex formalis*, aut *positivus* ponitur, quando quis voluntarie et scienter cum peccato mortali suscipit Sacramen-tum; adeoque cum obice tantum materiali suscipitur quidem Sacramen-tum absque peccato, sed et sine gratia. Denique *valide, licite, et fructuose* simul suscipitur Sacramentum, quando cum fructu et effectu Sacramenti, sive quando non tantum confertur secundum debitam materiam, formam, et intentionem conferentis, sed et cum debita dispositione suscipientis. Porro Sacramenta dicuntur suscipi fecte in duplici sensu: *primo, in sensu vulgari*, quando quis simulat se suscipere Sacramentum, cum tamen non habeat voluntatem illud suscipiendi: Sacramentum cum tali fictione est, et manet nullum, adeoque nunquam potest *reviviscere*. *Secundo, in sensu Theologico*, quando Sacramentum suscipitur valide quidem, sed cum obice sive impedimento gratiae: sic Sacramentum dicitur validum, sed informe. Vide dicta n. 3.

„Q. I. An Sacramenta valide et fecte suscepta remoto obice *reviviscant* „et gratiam causent?

„R. *Reviviscunt ad gratiam Baptismus, Ordo, et Matrimonium*; imo „probabilius *omnia*, excepto solo Sacramento Eucharistiae. *Sit casus*: Ti-tius valide, sed cum peccato nulla attritione retractato, suscipit Bap-tis-mum, deinde init cum Berta matrimonium; hac mortua ordinatur in statu „peccati mortalis; tandem concipit perfectam contritionem aut attritionem „cum Sacramento Poenitentiae, probabilius tempore remoti obicis bap-tis-mus remittit peccatum originale, et personalia ante Baptismum commissa; „Sacramentum Matrimonii et Ordinis operantur suas gratias proprias; „Eucharistia tamen interea sacrilege suscepta nihil operatur. *Rat. ex S. Thoma, S. August. Castrop. et multis aliis*. 1. Alias peccatum *originale*, „quod juxta Trid. Sess. 7. c. 4. proprie, adeoque tanquam a causa deletur „a Baptismo, non posset remitti: *non per baptismum in re*, uti qui poni-tur infructuosus; *nec per Baptismum in voto*, quia contritio sequens non „potest esse votum baptismi, utpote jam valide suscepti, et non iterandi. „2. Esset nimis difficile, si *Conjuges et Sacerdotes* perpetuo carere debe- „rent gratia data ad obligationes diuturni saepe Matrimonii et Sacerdotii; „maxime cum Character hujus connaturalem habeat connexionem cum gra-tia Ordinis et Ordo iterari non possit. Neque vero par est ratio cum *Eu-charistia*, in qua sequeretur ex *reviviscencia* absurdum hoc, quod Sacer-

„dos per 50 annos sacrilege celebrans, in articulo mortis contritus, con- „sequeretur omnem illam gratiam, quam acquisivisset, si quotidie digne „celebrasset, quod est contra persuasionem omnium. *V. La Croix*. E con- „tra Eucharistia, si removeatur obex, antequam consumptae sint species, „causat gratiam, ut tenent plurimi cum D. Thoma, cum subjectum jam sit „dispositum, et cum permanente Sacramento adsit auctor omnis gratiae, „non videtur negandum, quod gratiam causet; hinc qui sacrilege communi- „cavit, si statim conteratur, antequam species sint consumptae, accipit „effectum Sacramenti.

„Dices. 1. Baptismus praecedens in re potest dici *conditio*, et contri- „tio, vel Sacramentum Poenitentiae subsequens *causa* deletiva peccati „ante Baptismum contracti. 2. Non potest dici, qualis *dispositio* requira- „tur ad *reviviscencia*m. 3. *Opus mortuum*, e. g. oratio in peccato peracta, „numquam *reviviscit* ad meritum: ergo neque Sacramentum. 4. *Omnis* „*causa* habens virtutem activam remoto impedimento operatur: ergo etiam „Eucharistia. ... R. *Ad 1. N.* quia sic nec Trid. sumitur *in sensu proprio*, „nec probatur, quod *Poenitentia* habeat talem virtutem. *Ad 2.* Si peccatum „est *ante Baptismum* solummodo commissum, requiritur et sufficit dispo- „sitio alias ad Baptismum requisita, e. g. attritio. Si *in Baptismo* ita est „commissum, ut peccatum datum sit in ultimo instanti, quo complebatur „Baptismus, requiritur probabilius vel contritio, vel attritio cum Poeni- „tentiae Sacramento, seu medium de se justificativum; quia jam fuit pec- „catum hominis Christiani, et materia Sacramenti Poenitentiae. *Ad 3.* „N. C. Quia Sacramentum operatur ex virtute Christi, et *opere operato*. „*Ad 4. D. A. omnis causa necessaria, et physica* C. A. intentionalis, et „libera N. A.

„Q. 2. An Sacramentum Poenitentiae possit esse validum et informe? „De reliquis Sacramentis, maxime *initerabilibus*, id omnes facile admit- „tunt: specialis difficultas est in Poenitentia, quae requirit dolorem et „propositum. *Sit casus*. Cajus committit duo mortalia, furtum et impie- „tatem erga parentem: oblitus furti dolet solum de impietate ex motivo „huic soli proprio; fructum non operatur absolutio sacramentalis ob ge- „mina illae Theologiae principia: *In hac providentia non remittitur unum* „*peccatum sine altero*: et *Nullum remittitur peccatum sine retractatione*. „Quaer. modo, an tamen haec confessio sit valida, ut deinceps impietatem „commissam non debeat confiteri?

„R. Quamvis utraque sententia probabiliter propugnetur, *placet tamen* „*affirmativa*, quod sit valida. Ita *Thomistae, Suarez, Lugo*, et universim „22. *Auctores apud La Croix*, et teste Dicastillo ante Vasquez *communis*. „Quia dolor *qua universalis*, cadens etiam supra peccatum memoriae non „occurrens, non est pars ad substantiam valoris requisita, sicut integritas „materialis, cum Trid. tantum exigat dolorem simpliciter, qui sit *detestatio* „*de peccato commisso cum proposito non peccandi de caetero*: ergo sicut „in confessione peccatorum venialium dolor universalis solum pertinet ad „integritatem Sacramenti, etc. *Plura V. apud Viva*.

„Dices: 1. ille dolor requiritur ad valorem confessionis, qui requiritur „*ad fructum*; cum Conc. PP. etc. nullum discrimen faciant in hoc: sed etc. „2. Dolor, qui requiritur ad fructum, est *pars Sacramenti*, qua deficiente „non datur totum Sacramentum quoad substantiam. 3. Dolor requisitus „debet esse *vitae veteris odium, juxta Trid. Sess. 14. c. 4. quo projiciuntur* „*omnes iniquitates*. R. *ad 1. N.* Conc. et PP. loquuntur de *via ordinaria*, et „peccato cognito. *Ad 2.* Est Sacramenti *materialiter integri*, et formati gratia

„Sacramentali etc. C. Sacramenti ut sic, et formaliter integri N. Ad 3.
„Hoc requirit Sacramentum *fructuosum qua tale*.

„Q. 2. An Sacramenta vivorum per accidens causent primam gratiam?
„*Sit casus*. Sempronius elicit attritionem super peccata, sed per defectum in Confessario latentem absolvitur invalide, sicque bona fide accedit ad s. Synaxim: *alias* putat se elicere contritionem, sed re ipsa fuit attritio, sic adit Sacramentum Matrimonii, aut recipit Extremam Unctionem. Q. An Communio, Extr. Unctio etc. per accidens conferat attritionem, justificationem?

„R. Affirmative cum S. Thoma de Confirm. Scoto, aliisque plurimis.
„Ratio 1. Quidquid dici potest ad commendandam virtutem Sacramenti, et bonitatem Christi instituentis, et non pugnat cum revelatis, quae Deus per Ecclesiam nobis innotescere voluit, recte dicitur: sed haec virtus etc.
„2. Sacramenta mortuorum causant per accidens praeter finem primum suae institutionis secundam gratiam, ergo vicissim etc. 3. Eucharistia dicitur passim a Scriptura et Patribus panis *vivificans*, sanguis *abluens peccata*, abstergens sordes etc. in quo divitias amoris sui explicuit Christus; extrema unctio delens reliquias, et si *in peccatis sit*, remittentur ei etc. Ex altera parte praesumendum est, quod homo *bona fide* agens citra suam culpam non sit defraudandus hoc favore etc.

„Dices 1. Illud operantur Sacramenta, quod significant: sed Sacramenta vivorum non significant primam gratiam, Eucharistia significat alimentum, quod non datur mortuo. 2. Talis homo sumit *Sacramentaliter* Sacramentum, hoc est sine culpa et fructu simul. 3. Non daretur hic effectus *infallibiliter*, ergo non est Sacramentalis... R. ad 1. N. vel D. M. hoc operantur *per se*, quod significant C. M. etc. et Ad 2. *Sacramentaliter tantum* sumere est sumere sine fructu et simul cum conscientia peccati mortalis, ut Catechismus Romanus explicat Trid. *impuro ore et corde*. Ad 3. Datur *infallibiliter*, quia ex promissione divina accessoria primariae promissioni.

„Coroll. Sic pariter defendunt passim quod pro *diversitate dispositionis* detur diversa etiam gratia *ex opere operato*, et simul ex opere operantis. V. Scholast.

96. III. Aliud est Sacramentum, aliud res, sive effectus Sacramenti; per Sacramentum tantum intelliguntur signa externa, materia scil. et forma, quae tantum significant, et non significantur; res tantum Sacramenti est gratia, quae significatur, et significat: Sacramentum autem simul, et res Sacramenti est Sacramentum susceptum cum gratia. Porro ad essentiam Sacramenti non pertinet, ut *actu* semper conferat gratiam, sed ut sit collativum gratiae, sicut essentia causae non est actu causare sive producere gratiam, sed esse productivum gratiae. Laym. L. 5. t. 1. c. 6. n. 1. vide dicta n. 3.

97. IV. *Gratia divina* proprie dicta est donum supernaturale absolute indebitum, gratis concessum a Deo creaturae rationali, pertinens aliquo modo ad vitam aeternam. Gratia ratione finis 1. dividitur in gratis datam, et gratum facientem. *Gratis data* est donum supernaturale indebitum non in propriam recipientis, sed in aliorum salutem per se et primario ordinatum. S. Paulus novem species hujus gratiae recenset 1. Cor. 12. *Gratum faciens* est donum supernaturale ad propriam recipientis salutem per se et primario ordinatum.

2. Gratia gratum faciens *ratione modi existendi* dividitur in externam et internam. *Externa* extrinsecus hominem afficit, uti praedicatio Evangelii, institutio Sacramentorum, Incarnatio, passio, exemplum Christi etc.

Interna in ipsa anima recipitur, ut gratia sanctificans, habitus infusi, illustratio Spiritus Sancti proponens intellectui vel verum supernaturale credendum, vel bonum supernaturale agendum; sic vocatur *gratia intellectus*; si autem sit immediata motio, inclinatio, excitatio voluntatis divinitus facta ad aliquid supernaturale, dicitur *gratia voluntatis*. Interna subdividitur in actuale et habituale: *Actualis* est, quae per modum actus seu motionis transeuntis conceditur.

3. Gratia actualis *ratione diversi respectus ad liberum consensum* dividitur primo in excitantem, et adjuvantem. *Excitans* gratia, sive *operans*, et *praeveniens* consistit tum in illustratione intellectus, tum in motione voluntatis, quos actus vitales indeliberatos Deus in nobis physice quidem, non tamen moraliter et libere agentibus, ideoque sine nobis excitat, ut bene velimus. *Adjuvans*, *cooperans*, et *concomitans* consistit in auxilio supernaturali, quo Deus nobiscum libere agentibus ad omnes et singulos actus supernaturales liberos concurrat. *Secundo* dividitur in gratiam sufficientem, et efficacem. *Efficax* est, quae dat posse simul et operari, suumque effectum certo et infallibiliter assequitur. *Sufficiens* pure talis, et ut efficaci opposita, est illa, quae dat quidem posse operari, sed non ipsum operari, ex defectu voluntatis illam habentis, non autem ex defectu ipsius gratiae. De his plura vide in Tract. de Gratia apud TT. Scholasticos. Nobis sufficiat sequentia breviter adnotare; primo, quod ad omnes actus supernaturales, et vitae aeternae vel de congruo, vel de condigno meritorios, etiam ad initium fidei, et pium credulitatis affectum requiratur auxilium gratiae interioris et supernaturalis, ut constat ex C. Chartag. anno 418. contra Pelagianos, item ex C. Araus. II. anno 529 contra Massilienses congregatis, item ex Trid. sess. 6. can. 1. 2. et 3. *Non enim sumus sufficientes aliquid cogitare ex nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est*. 2. Cor. 3; et: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum*, ait Christus Joan. 6. v. 44. Secundo, certum est dari a Deo hominibus gratiam necessariam ad salutem, vide Trid. sess. 6. can. 17. et propos. 5. ab Alex. VIII. damnatam. Tertio, admittimus, dari in statu naturae lapsae gratiam internam pure sufficientem, adeoque merito damnatam esse illam Jansenii propositionem: *Interiori gratiae in statu naturae lapsae nunquam resistitur*. Item merito damnatam esse ab Alex. VIII. propositionem in ordine sextam. Gratia enim sufficiens satis manifeste insinuat a S. Scriptura, sic Isaiae 53. increpatur vinea, quod non ferret uvae; Matth. 11. Corozaitae, quod non agerent poenitentiam; Act. 7. v. 51. Judaei, quod resisterent Spiritui Sancto: ubi innuitur tum sufficientia ad bene agendum, tum resistentia aut neglectus oblatis sufficientis auxilii: frustra enim reprehenditur caecus, quod instituta bene agendi non legat. Manet etiam gratia sufficiens verum beneficium, quatenus praebet sufficientiam ad bene operandum, carentia autem bonae operationis unice ponitur a libertate operantis. *Gratia habitualis* est, quae confertur per modum habitus, sive qualitatis permanentis: haec subdividitur in virtutes infusas, dona Spiritus Sancti, et gratiam sanctificantem, vel justificantem. *Virtus infusa est*, quae naturae viribus acquiri nequit, sed a solo Deo infunditur, estque vel theologica, vel moralis. *Donum Spiritus S.* vocatur habitus supernaturalis, quo quis proxime disponitur, ut a S. Spiritu ad actiones quasdam praestantissimas eliciendas moveatur: septem numerantur hujusmodi, quorum tria, scil. donum *sapientiae, intellectus, et scientiae* ad facultatem intelligendi, quatuor reliqua, scil. donum *consilii, pietatis, et fortitudinis, et timoris* ad voluntatem pertinent. *Gratia sanctificans* est habitus supernaturalis infusus animae, quo homo formaliter justus, Deo gratus,

capax eliciendi actus meritorios, filius Dei adoptivus, et haeres beatitudinis efficitur. Haec dicitur *prima*, quando homo per eam ex injusto fit formaliter justus, ex inimico amicus, ut si haeres secundum spem vitae aeternae: *secunda* vocatur, quando homo justus in eadem crescit, ac magis magisque justificatur; adeoque gratia prima nullam praesupponit in subjecto gratiam justificantem, supponit vero eam gratia secunda. Porro *gratia sacramentalis* est ipsa gratia sanctificans, habens annexum sibi speciale jus ex Dei ordinatione ad certas gratias actuales assequendo fini singulis Sacramentis proprio idoneas.

§. II. Principia generalia de Subjecto, et effectu Sacramentorum.

97. *Principium I. Ad Sacramentum quodcumque (excepta sola Eucharistia) valide suscipiendum requiritur in adulto 1. ut recipiens non habeat voluntatem contrariam susceptioni: 2. requiritur, ut habeat intentionem positivam suscipiendi Sacramentum vel actualem, vel virtutem, vel saltem habitualem, imo juxta Laym. l. c. num. 4. cum pluribus, sufficit intentio interpretativa saltem in aliquibus Sacramentis. Prob. 1. pars ex c. Majores de Bapt. ubi Innoc. III. ait: Ille vero, qui nunquam consentit, sed penitus contradicit, nec rem, nec characterem suscipit Sacramenti. Prob. etiam secunda pars: Quia Christus adultis rationis usum habentibus non vult largiri gratiam et justitiam, nisi volentibus. Hinc juxta C. Trid. sess. 6. c. 7. justificatio dicitur: Sanctificatio, et renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiae, et donorum. Eadem voluntas Christi nolentis, ut adultus per aliquod Sacramentum sanctificetur invitus, vel mere negative se habens, desumitur ex c. 77. de Consec. dist. 4., item ex C. Carthag. III. C. 34. et ex Rit. Rom. Pii V. de Bapt. adult., ubi prohibetur baptizari, qui aliquando habuit usum rationis, et nullam tunc ostendit voluntatem suscipiendi Baptismi. Confirm. ex s. Th. qui 3. p. q. 68. a. 7. ad 2. ait: Si in adulto deesset intentio suscipiendi Sacramentum, esset rebaptizandus: si tamen hoc non constaret, esset dicendum: si non es baptizatus, ego te baptizo. Dixi 1. excepta Eucharistia; hoc enim est Sacramentum permanentis, et subsistit etiam extra usum; ergo tantum requirit intentionem conficientis, sive ministri. Dixi 2. requiri intentionem positivam etc. Recipiens enim non se habet pure passive sive coacte sed voluntarie; ergo requiritur consensus recipientis Sacramentum. Quae autem intentio determinate sufficiat ad valide suscipienda singula Sacramenta, de singulis infra dicitur.*

99. *Adverte: Baptismus ad valorem reliquorum Sacramentorum absolute praerequiritur: quia Sacramenta a Christo sunt instituta pro his, qui sunt in Ecclesia; atqui non baptizati non sunt in Ecclesia: ergo. Confirm. 1. ex Flor. ubi Baptismus dicitur vitae spiritualis janua. Confirm. 2. ex c. 2. L. 4. tit. 4. de cogn. Spir. in 6. ubi Baptismus vocatur reliquorum Sacramentorum fundamentum et janua.*

100. *Princ. II. Ad licite et fructuose suscipienda Sacramenta mortuorum, Baptismus nempe et Poenitentiam, praeter voluntatem suscipiendi illa, requiritur actus fidei, spei, et doloris de peccatis, qui saltem sit attritio. 2. Ad recipienda licite et fructuose, cum effectu gratiae, Sacramenta vivorum praeter intentionem positivam praerequiritur status gratiae. Ratio primi est: quia de facto nulli datur venia peccatorum sine retractatione, aut dolore supernaturali de peccato a se commisso; item sine fide non potest voluntas erigi ad spem firmam, nec ad timorem supernaturalem, consequenter nec ad dolorem supernaturalem: ergo. Confirm. ex Trid. sess. 14. c. 1. ubi disserte habetur: Fuit quidem Poenitentia universis hominibus,*

qui se mortali aliquo peccato inquinassent, quovis tempore ad gratiam et justitiam assequendam necessaria, illis etiam qui Baptismi Sacramento ablui petivissent. Id quod probat ex Scrip. Ezech. 18. 30. Convertimini, et agite poenitentiam. Item ex c. 13. Lucae v. 3. Nisi poenitentiam egeritis etc.; denique ex cap. 2. Act. Poenitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum. De hac dispositione, ait Trid. sess. 6. c. 6., scriptum est Heb. 11. Accedentem ad Deum oportet credere, quia est, et quod inquirentibus se remunerator sit. Ecce fidem; et Marci 2. Confide fili; remittuntur tibi peccata tua. Ecce spem. Ibidem clare describit poenitentiam, quam agi oportet ante Baptismus. Ratio secundi est: quia Sacramenta vivorum primario instituta sunt ad augendam gratiam sanctificantem: ergo per se loquendo jam praesupponunt eam in subjecto praesentem. Praeterea vide infra n. 104.

101. *Princip. IV. Sacramenta mortuorum non ponentibus obicem conferunt per se loquendo gratiam primam Sacramentalem, de qua vide n. 94.; Sacramenta vivorum per se gratiam secundam ex opere operato, et quidem aequaliter, si aequaliter dispositi sint suscipientes. Praeter hunc effectum Baptismus, Confirmatio et Ordo characterem imprimunt, ut dictum fuit n. 3. Prob. primum ex Trid. sess. 7. Can. 6. Si quis dixerit, Sacramenta N. L. non conferre gratiam, quam significant, aut gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre, quasi signa tantum externa sint acceptae per fidem gratiae, et justitiae, et notae quaedam Christianae professionis, quibus apud homines discernuntur fideles ab infidelibus, anathema sit: et seq. Can. 7. Si quis dixerit, non dari gratiam per hujusmodi Sacramenta semper, et omnibus, quantum est ex parte Dei, etiamsi rite ea suscipiant, sed aliquando et aliquibus, anathema sit.*

102. *Probatur secundum. Illud Sacramenta per se conferunt, ad quod conferendum per se sunt instituta; atqui Sacramenta mortuorum per se sunt instituta ad conferendam gratiam primam; quia per se sunt instituta pro carentibus vita supernaturali gratiae. Sacramenta autem vivorum per se sunt instituta ad conferendam gratiam secundam, quia pro viventibus vita supernaturali gratiae: ergo. Confirm. Trid. sess. 7. in Decr. de Sacram. ait: Per quae omnis vera justitia vel incipit, vel coepta augetur, vel omissa reparatur. Ergo non omnia eodem modo gratiam primam conferunt. Quomodo per accidens Sacramenta mortuorum subinde gratiam secundam, et Sacramenta vivorum aliquando gratiam primam conferant, dicitur de singulis Sacramentis.*

103. *Prob. etiam tertium ex Trid. sess. 7. can. 8. Si quis dixerit, per ipsa N. L. Sacramenta ex opere operato non conferri gratiam, sed solam fidem divinae promissionis ad gratiam consequendam sufficere, anathema sit. Gratia dicitur conferri ex opere operato, quando datur vi ipsius operis Sacramentalis secundum institutionem Christi facti et suscepti, et non vi meriti, aut dispositionis illius, qui confert vel suscipit Sacramentum. Ex opere autem operantis confertur gratia, quando haec datur vi meriti, devotionis et dispositionis in Ministro, vel suscipiente. Hanc efficaciam Sacramentorum ex virtute operis operati indicat S. Paulus ad Tit. 3. Non ex operibus justitiae, quae fecimus nos: Ecce opus operantis; sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis: Ecce opus operatum. Audi S. Aug. L. 4. contra Crescon. c. 16. Non eorum meritis, a quibus ministratur, constat Baptismus, sed propria sanctitate et virtute propter eum, a quo institutus est.*

104. *Ex quibus recte infertur quartum, quod Sacramenta ejusdem rationis semper aequaliter conferant gratiam subjectis aequaliter dispositis.*